ORATIO FUNEBRIS,

Ejaculata Super

Cineres Illustrissimi Herois,

FORTISSIMI

DUCIS,

Clarissimi Domini,

Georgii Stewart,

Domini de

AUBIGNI:

Qui adversus

REBELLES

In Prælio

Keintoniano

Dimicans, Summo cum honore Cecidit.

Ostendunt terris hunc tantum fata.——

Imprels. *Lond.* Impens. *Georgij Cooke* Gen. 1663.

[illegible]

Candidis Lectoribus.

GEO. COOKE.

S. P. D.

NE *prodiret in lucem exequialis hæc Oratio, Oxonij habita, præsentibus illustrissimis Principibus* Ruperto & Mauritio, *cunctisque propemodum illibatis* Angliæ *magnatibus, toto denique fere Caballatorum flore; Obstitit dicta furiarum cohors; Sc. malesani quidam tenebriones, qui Deorum ipsorum non solummodo odium.*

ſed et etiam contemptores; (Briareâ quadam arrogantiâ elati) Sacroſanctam Regiam Majeſtatem non tantum laceſſere, ſed et violare auſi ſint; perjuri, Rebeles, & (ut Oratoris noſtri quodammodo verbis utar) jam perditi homunciones. Populo enim in exitium eorum Cælos implorante, Flaminibus diras ipſis imprecantibus, ſic volente Albermarleio, *ſic jubente ſalutifero* Angliæ *ſenatu, Regiâ coruſcante Majeſtate, Dijs ipſis inſuper intonantibus, in immane chaos æternæ noctis diffugere viliſſimi triverberones: quorum & aliqui (utinam & omnes) amputatis membris urbem hanc noſtram cir-*

Ausi omes immane nefas, ausoque potiti.

Ut tandem igitur umbra Aubigniana (*Cælicolis jam associata, nec minus inferioris orbis nostri refrigerium, quam Jovis ipsius assiduus comes & deliciæ*) *merito fruatur libamine; & ne posteri tantos manes non adorent, tantum in Cælis adjutorium ignorent; eloquatur illius stemma Regium, Heroicasque virtutes funebris hæc Oratio: Ignoscite precor si Oratorem nostrum hunc eximium* (*ipso annuente nesciatis, qui Divum* Aubignium *coloribus plusquam Apellæis depinxit; illum inquam* Aubignium, *quo* (*Regiâ Majestate exceptâ.*)

----Nihil in terris Auguſtius aſpicit æther.

Cui æthereas arces ingredienti, tota intelligentiarum occurrit Hierarchia; amplexi ſunt,

----Manus ob patriam pugnando vulnera paſſi.

Jubilanti celeuſmate excepere Magnanimi Heroes, nati melioribus annis.

Verum enim vero (Candidi Lectores) pluſquam vereor, ne frigida noſtra encomia ſacram illam obnubilaverint umbram: æquum eſt igitur ut Orationi huic ſequenti referendos vos ſtatuerem; cujus literatiſſimus Author magnis Aubignij *manibus ſatis ampliter parentavit. Vivite itaque et valete, & Errata typographi incuriâ elapſa ita corrigatis.*

Micat

LECTORIBUS.

Micat inter omnes
Aubini ſydus, velut inter ignes
Luna minores.

Nunc Elyſij
Nemoris tutis errat in umbris,
Interque pias fœlix animas
Ludovicum quærit.

In editam hanc orationem.

Authoris pietate micans Oratio fecit
Aubigni *celebris ne moriatur bonos :*
Edidit hanc Cookus, vulgi impietate ſepultam,
Scilicet ingenio ut vivat uterque ſuo.
G. R. M. D.

Errata

ERRATA:

Pag. 1 *pro* aptins *l.* aptius

Pag. 7 pro oculi *l.* oculos

Illustrissimi

Illustrissimi Principes Procereſque quotquot ferali huic adestis pompæ, vosque præclarissima undiquaque corona.

FAvcatis auribus oportet, cùm vel ipse vobis eloquatur stupor, nec indignemini, quod in tanta Heroum frequentia, quos omnes præ dolore mutos, ac pænè consternatos intueor, ipse solus tam docilis affectûs videar, ut exurrexerim orator: Dolori satis huic exprimendo, aptius multò el-

set, quod Agamemnoni pictor imposuit pallium, quam verborum fletus exequialium; cum autem sic se habuerint imperia non refraganda, orationi huic nostræ, confusæ penitus, et conturbatæ, qualem à dolente et attonito profluere oportet, ignoscite supplex rogo, splendidissimi Auditores.

Ante oculos vestros, jacet ecce prostratus Heros, flos ducum, Belli fulmen, Pacis decus, magnus Aubignius, major *Stewartiades*; ipsam funeris sui pompam, ducens cadaver; cujus prosapiam regiam, stemmaque Augustum, ipsa satis eloquantur insignia: instar omnium verò memorâsse sufficiat, fuisse illum Augustissimo Regi nostro Carolo in tertio gradu consanguineum; prænobili Principi, Illustrissimo Richmondiæ et Leviniæ duci, fratrem natu proximum; reliquam

ejus

ejus parentelam, cum præclaris proavorum gestis fecialibus ut æquum est, remitto referendam.

Claritatem quippe generis, virtute superavit suâ Aubignius noster, dedignatus semper Regali suo sanguini, vel patrijs solum, quamvis clarissimis, inniti imaginibus, præcipua semper illi (fas mihi sanctorum venia dixisse parentum) nobilitas ex mente fuit, nec in majorum honores venire prius voluit, quam virtutes; quem quamvis super omnes acquirendæ gloriæ moras, fortuna posuisset, crescere tamen militando voluit, et notiorem se nobis reddere, quum esse non potuisset nobilior. Mariti siquidem Dearum, ac Deorum liberi, non dignitate nuptiarum magis quam his artibus inclaruerunt. Non tam patiens Affricanus rudimenta militiæ sub Paulo Patre toleravit, nec pari

indole Hannibal puer, in tentoria Hispana successit, nec certiore spe futuræ gloriæ Philippea castra Alexander nondum magnus, implevit, declaravit satis victorem mox futurum, qui animo etiam tum, vicisset ætatem.

Insperantibus verò nobis apparuit, simul et disparuit, ista virtus, terris tantum ostensa, in annis circiter viginti, ipso juventutis flore, primâ lanugine;

Ille velut primos expiraturus ad Austros,
Mollibus in pratis, altè flos improbus extans.
Urgebat sæpe segnes ætatis moras.

Annisque longè post se relictis, et multa super indole victis, præcox certè, sed non præmaturus subitâ quadam Apotheosi, cœlo redditur nondum poscenti, utinam si optare fas sit, diuturnior recreator homi-

num, quam maturior Deorum comes. Plerosque certè magni nominis viros, aliquantisper sibi luxuria vindicavit, quos et si ad portum, mutati in melius revexerint flatus, diu tamen vitiorum turbo jactavit, et naufragos pœnè atque fluctuantes ab illis quibus mersabantur errororibus, ægrè ætas recepit. In isto tamen adolescentiæ lubrico, non illum blandiores fortunæ indulgentiæ mollire unquam poterant, non copiæ principales ad segnitiem luxumque detorquere, sed lætum opera corpus ambiebat, et crescentia laboribus membra; tam assiduus in actione sua constitit, ut vel labore refici ac reparari videretur, gaudent siquidem divina, perpetuo motu, et jugi agitatione, se vegetat æternitas. Omnia castrensia munera primus aut cum primis obijt, stare prò signis, excubias sorte agere, vallum

ferre

ferre, castra metari, in prælium primus ire, prælio postremus excedere, dux consilio esse, miles exemplo; per omnia passim, sic ducem commilitonemque miscuerat, ut studium omnium laboremque et tanquam exactor intenderet, et tanquam particeps sociusque relevaret.

Divinior ille animus, dignum pariter metabatur hospitium, vel pro habitu suo sic finxerat habitaculum, ut per omnia habuerit formam fortunæ suæ et honori parem. Nec dedignenimi Auditores vel hanc, ut fœmineam nimis, attribui Aubignio gloriam, sed patimini eam, in laudum illius parte constitui, quæ in alijs solita est sola laudari, honorem meruit virtus ejus, virtuti addidit forma suffragium, præstitit illa, ut oporteret *Aubignium* fieri magnum, hæc ut deceret;

Qualis

Qualis erat! procul heu cunctis puerisque virisque
Pulchrior? ——————

Adeò ut monstrum pænè esset, cum tanta specie, fortitudinem convenisse; statura media et recta, decentior sanè quam sublimior, oculi Syderibus pares quàm vivido splendore vibrabat! quibus in transitu sæpe etiam cum taceret, loquebatur: purpureo sanguini suffusus, quantus emicuit candor! ut placuerint ingenui crines inter aurum argentumque nitentes, et castigatæ frontis collecta modestia? ut oris intrepidi habitus, ut cervix nec immobilis, nec præter majestatem annuens, ut omnes motus, gestusque, totum decuerint corpus, nobis solum meminisse relictum est: nec fuerat interim illi, fæmineum prorsus decus, aut mollities affectata, qualia quibusdam sola placent, qui

——— Dubiæ post crimina formæ
De sexu transire volent ———

sed

ſed vel puero ſemper inerat virilis gratia: nuper et adulto, non petulanti acie, ſed blandiores vel ſevero igne fulſerunt oculi, nec crinium miſera tortura unquam placuit, ſed vel rudis illorum ſimplicitas, et horror decorus,

——— Qualis belli olim cum Caſſide viſu
Parthenopæus erat ———

Pulchrum ſanè conſtitit et cæleſte miraculum, veneranda pariter et grata majeſtate perſtringens ſimul et invitans aſpectûs; mirantium nunquam explevit oculos, magis magiſque viſus expetebatur, et novum dictu vel præſens deſiderabatur.

——— Cuncta hæc in cineres gravis intulit hora
Hoſtiliſque dies ———

Videtur verò forſan et hoc damnum quodammodò reparabile, ſi vel cæleſtem illam effigiem colores quidam Appellæi, vel viva aliqua

animaverint metalla. Esto! at te ô adoranda anima! O intus *Aubigni*, magnis nunc additum Divis decus, tuamque prudentiam, et tranquillam morum temperiem, justitiam, ut suum cuique tribueris, Temperantiam, ut honestè semper vixeris, Fortitudinem denique tuam, ut neminem læseris, reliquamque gratiarum Panoplian, quæ in habitu interno claruerunt, quæ linea cerâ, quæ lucida saxa, quæ metalla, qui colores referre unquam poterunt? in ista parte *Aubigni* nostri, illustres ejus maximè respirârunt proavi, per quam non regibus tantum, sed et ipsis Dijs oriundum se probaverat. Vir sanè hoc sæculo major, et dignus fabulantium miraculis vatum; ipsum mihi videor jam videre iterum, ut inermis et ad letum impiger, rueret in prælia,

---Tuque

In prima quippe acie, medias hostium Phalanges invasit (solo armatus Deo et virtute sua) majoreque impetu, quam (quod mirum est) fugerunt illi, intonantibus licèt undiquaque machinis, et grandine sæva irruente globulorum nimbo; Torrenti non absimilis amni, quem abruptæ radicitus sylvæ, et convulsa funditus saxa sequerentur. Numeroso hosti, multus instabat, et libertate cædis exultans, per infestas acies interritus vadit, densissima quæque prorumpit, dejicit, proterit: mortis decus perdunt, quos ignoratus affligit, nisi quod ipsum vel vis ejus coegerat agnosci; et si quis obviam fieret fortior Adversarius, ut alacrior inde evasit *Aubignius* noster, et lætus! quoties sibi gravior ictus incideret, laudabat quippe ipse ferientes, hortabaturque ut auderent. Fessus demum cædibus etiam

etiam anhelus, cruore oblitus ſuo et hoſtili, quamprimùm pulchram in conſpectu ſuo habuiſſet victoriam, relaxata quippe acie, et fronte hoſtium titubante, fiducia manuum ad pedes migraverat, eminus demum etiam comminus Sauciatus cecidit, heu ingens cognato Regi Sacrificium et ſaluti publicæ: Suaviſſimus *Aubignius*, ex omni parte nobilis, Muſarum Amaſius, nemo enim propitia magis Pallade, eas unquam coluit, domi militiæque juxta bonus, nemini invidus, inviſus nulli, æmulatorum autem ſi qui fuerint, invidiam ſemper vicerat, et amicorum fidem, nuſquam gradum ſuum extulit, quin ubique eum gloria, quaſi umbra comitata ſit. Amabilis *Aubignius*,

——— Cui ſibila ſerpens
Poneret, et ſævæ vellent ſervire novercæ.

Quem vel eſuriens Leo fame deperiret blanda, prædamque

uti

uti ſolet Regiam, rictibus ambiret
incruentis, non immatura modo ſed
violenta morte præreptus eſt, et per
viliſſimas hominum ſordes, hic do-
lor eſt dolorum. Suppetias jam con-
ferte planctuum Auditores, fletibuſ-
que aſpirate meis; adeſto tota Mu-
ſarum Hierarchia, et in alumni tanti
funus, ipſum Helicona lachrymarum
profundite, cum enim nec odorati
ſuppetant flores quos tanto tumulo
inſpergamus, nec liquores Aſſyrij
quos bibat urna nobilis, lachrymas
inſtillemus noſtras, quæ defuncto *Au-
bignio*, acceptius erunt ſacrificium,
majorque honos.

Dolentibus vero vobis nimias ir-
rogavi pœnas, vereorque ne in mag-
nos peccaverim manes, dum crudeli
pietate effecerim, recrudeſcere de-
functi vulnera, ipſumque qui omnes
olim vitæ labores evaſit et dolorum
acumina, in novum quaſi letum re-
viviſce-

viviſcere. Ignoſcas O beata umbra, ignoſcite et vos, Illuſtriſſima corona, vos præſertim, nobiliſſimum par fratrum, clariſſimi duces, ſpectabiles Domini, Johannes et Bernharde, quorum luctuoſis oculis atque animis, nimius dudum incubuit dolor, quippe qui toties pio fletu perluiſtis germana vulnera, toties frigida lambiſtis oſcula, toties mutuis amplexibus impliciti, mutuis lachrymis perfuſi, dolori etiam feſſo, ſtimulos addidiſtis novos: Claudite jam rivos, pijſſimi Fratres, lachrymis indultum eſt, heu pluſquam ſatis, cedat luctus atrox quo charam cruciatis umbram, et quicquid ante pietas veſtra fleverat, nunc adoret, ὃν φιλεῖ θεὸς ἀποθνήσκει νέος; Summus ſane hic *Aubignio* cælorum favor fuit, qui cum gloriæ plenus, ad lubricam jam perveniſſet ætatem, et ad vitiorum tantum marginem proceſſiſſet, ut videret illa non attingeret,

ret, tum Deus quaſi manu eum prehendens opportunè ad ſeipſum revocavit, adeo ut præclariſſimo juveni non tam ereptam a Deo vitam, quam mortem donatam cenſeatis; illum profecto ſuperi petierunt ſibi, receptuſque eſt in conſeſſum cæli Jove ipſo dexteram porrigente. Apage prorſus iſta nigræ hujus pompæ ſolemnia, dies hic ſit triumphalis, quem Laurus magis deceat quàm Cupreſſus; in iſtâ quippe cauſâ occubuit, quæ non ſolum glorioſum militem eum reddidit, ſed Martyrem; cauſâ ſcilicet ipſius Dei adverſus Atheos, eccleſiæ adverſus profanos, Regis in Rebelles, Reipublicæ in prædones: Præcipitavit enim totus ſe in furias populus, et audacia plus quam Sacrilegâ, de ſterquilinio ſurgentes quidam, vix dum lotis manibus, rerumpubl: negotiæ, nec non jura Regalia aggreſſi ſunt, perjuri, Rebelles, utinam et perditi homun-

homunciones, qui nè uniçâ cruce digni viderentur, trifurciferi evaſerunt. Calcatum Regis caput, ſupervolavit factio nefaria, ſeipſos interim nuncupari placuit, domicilium Legiſlatorum reverâ latronum receptaculum. In ævum noſtrum reverte Xenophon, tu qui ad virtutes Cyri tui exequendas, votum potius commodâſti quam hiſtoriam, et in Carolo noſtro cerne quicquid in Cyro tuo non videras, ſed optabas, qui tantum ultra omnium Sæculorum Principes eminet, quantum à privatis cæteri Principes receſſerunt, in quo abundarunt illa virtutis et bonitatis exempla, quæ ſequi cupiat ventura poſteritas, et ſi rerum natura pateretur, aſcribi ſibi voluiſſet antiquitas: operto conclavis ſui non ſanctior Ara veſtalis, non Pontificis cubile caſtius, non Pulvinar Flaminis tam pudicum: ſancti-

oreſque effecit ipſos Deos, exemplo ſuæ venerationis. Verumenimverò nec omnino mirum videatur Majeſtatem Regiam ab illis violari, á quibus nec divina tuta eſſe poſſet, cum vel *Jovi* ipſi jus dicere, Religionique cancellos imponere auſi fuerint nefarij Legiſlatores: quorum furialis zelus faſtu pluſquam gigantæo, antiquam iſtam fabulam, novo veroque ſuperante prodigio, ipſis iterum cum Dijs bellare fatagit, et è cælis noſtris clariores omnes, maligna quaſi ſydera, avulſas ſtellas rupit: proh ultimus Mundi ſtupor! cerebroſa capita, ipſâ pro Religione, adverſus Deos dimicant, eccleſiamque, ut ædificent, demoliuntur templa, Religioſi ganeones, proditores etiam pij in Principem Bella gerunt ut paci et ſaluti ejus conſulant; Sancti denique Aſaſſinatores nullum non comminiſcuntur

tur Religioſum nefas : et ſanè pace pientiſſimi Regis dixerim prorſus nec immeritò, ut pote cum in vitia non patuerit, ſaltem nimiæ virtutis debuerat accuſari, durum quippe impoſuit mortalitati onus, quam ad tantum poſſe docuit pervenire faſtigium ; Sat ſanè criminis, impiato ſæculo, Ignotæ ſiquidem barbaris virtutes, nova reputantur vitia. Ad quid aliud enim in Rege optimo maximo pietas et Summa poteſtas, conjugato prorſus miraculo fæliciter coiêre, et in una ſede Majeſtas et amor, adeò ut virtus ipſa, apud eum ſuum ſtatuiſſe domicilium crederetur, et à Deorum vita ſola mortalitate diſcreparet ? Ad quid per octodecem circiter annos ſub diviniore ejus auſpicio, reducta nobis fuerint Halcyonum tempora, dum in regimine optimè Monarchico ipſâ frueremur Repu-

blica, et quod olim Hadrianus Cæsar de seipso locutus est, sic suum semper gesserat principatum, ut res tota populi fuerit, non sua, nisi ut beneficia ista videret in scelus versa, et sanguini ejus, horreo dicere, ne parcatur pro quo sanguis est fundendus; gladijs ac bombardis beneficia ista prosecuti sunt maleferiati proditores, nec alios expectare potest meritissimus Princeps quam cruentos beneficiorum exitus. Rescidêre prorsus cuncta reverentiæ vincula, ipsa numinis manu sanctissimè astricta; feroces superbâ pace cives: nec alio prorsus cupiunt, quam civili sanguine, suam furijs consecrare barbariem. Rex interim optimus, quod consentaneum erat clementiæ suæ, expertus sæpe est,, remedia meliora, ut quod leniri, quam resecari mallet, mitior medicina sanaret; nullâ autem vi,

coire

coire unquam poſſunt, quæ naturali divortio diſſident, nec ulla tam fidelis eſt copula, quæ in diverſum tendentia, nexu ſuo teneat; cum illo fides, illis perfidia; cum illo fas, illis nefas; cum illo jus, illis injuria, cum illo clementia, pudicitia, religio, illis impietas, libido, crudelitas; omniumque vitiorum conſiſtit collegium: numnam et hæc coire unquam poſſunt? quid referam infelicium indigniſſimas cædes? quid inexpletos libidinum paſtus? quid miſeras Patrimoniorum direptiones? quid ſuffixa pilo veneranda capita? Quid Catones in mortem coactos, truncoſque Ciceropes, et reliqua popularis Tyranidis prodigia? innumerabilibus prorſus malis, ægra jacuit, potius dixerim exanimata Reſpublica, barbarie certâ Britanno nomini, velut diluvio quodam ſuperfuſâ; re-

condita hæc altè magis gemuimus, et ingeſtos quotidie luctus callo quodam obſtinatæ patientiæ ſuſtinuimus? Cum Præſtantiſſimus Princeps, injuriæ ſuæ negligens, ulciſci noſtras mallet, ſuumque demum ſe defendendo diſtrinxit gladium. Crudelem medicum intemperans æger facit, flecti ſiquidem qui recuſant, frangi oportet, nec invaleſcenti Reipub: morbo, molli uſpiam diætâ ſuccurrendum erat, ſed Chirurgiâ; hoc ſolum armis ſuis cavit provida ſeveritas Regis, ne fundata legibus Reſpub: everſa legibus videretur. Hâc protinus cauſâ plenus, non acrior cognati ſceptri vindex, quam ſalutis noſtræ, ſupremum obijt diem Divus *Aubignius*, ipſaque morte laureatus, ovans in cælûm redijt, ubi inter ſemideos manes, potentioreſque animas, ſuos jam agit triumphos.

Satis certè sibi vixit, et honori suo, satis Regi, satis Reipub: ut prorogetur quippe dies mortis; ad fælicitatem nil omninò proficit, morâ enim non fit beatior vita, sed longior; ævi sanè immaturus, sed jam maturus æternitati, cursum ætatis peregit non expectandum, in festinatione virtutis non est mihi credite ullus illachrymandi locus, ignavo quæstu defunctum prosequi nec viros decet; indolescendum sanè potius, quam dolendum vobis est.

Exurgatis oportet vos vere Heroica turba, sacrum hunc sanguinem validè vindicetis in Rebelles, in autores necis: ruant isti in sanguinem suum populi; furiat in viscera sua, gens effrænis, obstinatæque feritatis pœnas, sua sponte persolvant. Detur debito rebelle agmen exitio, volvantur impiæ in sanguine suo

turbæ.

turbæ, quibus adeò invigilat ſuum ſcelus, quoſque ſicaxagitat horror conſcius, æſtuante culpâ, ut nè audeant non fugere. Internos neſcio quos habet mens ſcelerata carnifices, vel ipſa ſatis ſibi carnifex, conſcientia eſt, Adeo ut non bello ancipiti uſpiam dimicabitis, ſed ſolas impiorum pœnas expetetis. Pediſſequam ſe ſemper vobis ſolita præbebit victoria, in iſta quippe cauſa dimicandum eſt, quæ ſi vel defuerint homines, interceſſores tamen ſanctos, cuſtodes Angelos, commilitones habet Deos. Vos præſertim Superillustre par Principum, quorum vel nominibus, ſi qui fortè ſint rebellium, qui nondum virtutis veſtræ ſulmen exceperint, perculſi prorſus et velut afflati quieſcunt, ſaltem contremiſcunt. Tuque imprimis *Ruperte*, qui ipſius noſtri conſtas animus belli, Tuque magnanime

Maurici,

Maurici, fortiſſimo fratre ſolùm minor, quorum alterutrum vel bello parem, utroſque Cœlo delapſos, ut Genios et Tutelares noſtros, non poſſumus non agnoſcere ſimul, et adorare; qui exulantes relegataſque virtutes, ad Regnum hoc Poſtliminio quodam reduxiſtis et extincta jamjam belli ſtudia reflammâſtis, in quorum vel diverſis frontibus, una eminet Majeſtas, nec timeri quicquam dignius quam amari: vos, vos, inquam exurgatis, divi fratres, irarum pleni, et cognatis manibus, qui placari aliter nequeunt, elumbes hoſtium greges immoletis, ut ad inferiores aliquos inferos (aptiores ſcilicet criminibus tantis judices) dimittantur, terribiles ſcelerum Deos. Quos quantum et nos mortales poſſumus, inſequemur etiam mortuos, illorum nomina morientur et famæ, totoſque accipiet

piet tumulus: Notabiles forsan quosdam, memoriæ commendare dignabitur Historia, ut splendere ita possint celebriore ignominia, longioremque et apud Posteros mortem magis duraturam vivere. Tollite si placet has glorioſi martyris reliquias, et in viſceribus matris, quæ ſuum dudum explicuit ſinum tanto hoſpiti et filio, iterum recondite; nec totum tamen capiet *Aubignium* brevis iſta tumuli clauſura; Britannum nomen, et pectus unumquodque nobile, vivum ſtabit defuncto Monumentum. Vivet ipſe ſuo letho ſuperſtes, multam ætatem feret etiam mortuus, gloriæque plenus deducetur ad Poſteros: Hâc mercede, noſtra vel calamitas placebit, et optaret ipſe magnus *Aubignius* vel ſecundo perire telo.

Sic, Sic, juvat ire ſub umbras.